

debet argumentum ad votum ingrediendæ Religionis metu extortum. Instantia, vel retorsio est in exemplis supra allatis de matrimonio clandestino, etc.

Ad 2<sup>am</sup>. R. N. Ant. Nam regulariter valet, et obligat omne juramentum, quod sine peccato impleri potest, arg. c. *Quamvis*. de pact. in 6. sed matrimonium licite et cessante metu valide iniri potest, etiam vi juramenti.

Ad 3<sup>am</sup>. R. C. seq. Maj. D. min. Est durum hoc onus imponere sine sufficienti causa et sine jure C. his habitis N. Hoc onus imponitur a jure; jus enim hoc impedimentum annectit sponsalibus validis, sponsalia vero metu extorta nullibi a jure invalidantur. Deinde licet metum passus careat culpa, non tamen sine ejus consensu hoc impedimentum contrahitur, eo quod, licet ex metu contrahat sponsalia, illa tamen adhuc libere contrahat.

## ARTICULUS V.

## QUIBUS EX CAUSIS SPONSALIA DISSOLVI POSSINT?

249. *Dico 1.* Sponsalia non solum morte naturali, quæ ipsum etiam matrimonii vinculum solvit, sed et superstite utroque desponsatorum multis ex causis dissolvi possunt.

1<sup>o</sup>. Sponsalia puberum mutuo consensu solvuntur. c. *Præterea* 2. h. t. Ratio est, quia obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur §. fin. Inst. quib. mod. toll. obl. Et generaliter omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. c. 1. et L. 35. ff. de R. J. intellige, si res, vel obligatio ex natura sua solubilis sit, ut sunt sponsalia; atqui hæc mutuo consensu nascuntur. Deinde sponsalia licet via sint ad matrimonii sacramentum, non tamen excedunt limites contractus humani; ergo, sicut iste, mutuo consensu solvi possunt. Idque etiam locum habet in sponsalibus juratis; quia hoc juramentum non obligat nisi in partis commodum, qua proin obligationem remittente, tollitur juramenti materia. Et quia invito non datur beneficium, L. *Invito* 70. ff. de R. J. juramento omni, quod in favorem, vel bonum hominis præstitum est, inest facta conditio: *nisi ab hoc remittatur*.

2<sup>o</sup>. Ipso facto solvuntur per *matrimonium* cum alia vel alio valide, licet illicite contractum. c. *Si inter* 41. de Sponsal. c. 1. de Spons. duor. Et ratio est, quod inter duo vincula incompatibilia teneat illud, quod fortius est, rupto, aut suspenso interim debiliore; matrimonium vero cum sit indissolubile, et conferat jus in re, fortius est; ergo illi cedunt sponsalia. Dixi 1<sup>o</sup>. *per matrimonium*. Non enim solvuntur per sponsalia posteriora, licet jurata, cum valida esse non possit promissio rei jam alteri ex justitia obligatæ; juramentum vero obligare nequeat in præjudicium tertii c. *Cum contingat* de Jurej. Dixi 2<sup>o</sup>. *aut suspenso*; quæstio enim est inter Doctores an per sponsalia de præsentis, vel matrimonium ita solvantur sponsalia de futuro, ut sponsa de præsentis mortua (idem est de sponso de præsentis) vel ante matrimonii consummationem ingressa Religionem, sponsus non teneatur implere tunc sponsalia de futuro prius inita? Non teneri docent Sanchez L. 1. Disp. 48., Layman L. 5. Tr. 10. p. 1. cap. 2. ea moti ratione, quod sponsalium de

futuro initorum obligatio per sponsalia de præsentis extincta sit, c. *Sicut* 22. et c. *Si inter* 31. Obligatio autem semel extincta non reviviscat L. *Qui res*. 98. §. 8. ff. de Solutionib. *Confirm. a pari*. Votum ingrediendi Religionem strictiorem extinguitur absolute per professionem in laxiori c. *Qui post*. 5. de regular. in 6. Ergo etiam sic extinguuntur sponsalia de futuro per sponsalia de præsentis. Verum teneri adhuc sponsum ad priora sponsalia de futuro inita implenda docent Coninck Disp. 23. Dub. 4., Wiestner Instit. Can. Lib. 4. Tit. 1. aliique, et recte; quia nullo jure habetur ea vis sponsalium de præsentis extinguendi priora de futuro. Non *naturali*; quia juxta hoc obligatio illa potest consistere cum matrimonio, saltem quatenus respicit tempus illius per mortem dissoluti; eamque eo casu tantum suspendi conveniens est, ne violans fidem datam ex sua malitia commodum reportet, et pars innocens læsa privetur suo jure pro eo casu, quo ejus usum nihil impedit. Nec *positivo*, quia in cc. cit. solum dicitur matrimonium esse validum; minime vero priora sponsalia omnino extinguuntur; unde sicut ligatus voto Religionis, si ineat et consummet matrimonium, non liberatur omnino obligatione voti, sed tenetur adhuc mortua conjuge implere votum, quantum potest; ita hic. Item qui e. g. equum vendidit secundo alteri et tradidit, licet emptor secundus per traditionem acquisierit jus in re et dominium; si tamen equum reddat venditori, hic adhuc equum tenetur tradere emptori primo; sic in nostro casu. Quoad votum vero ingrediendi Religionem strictiorem disparitas est; quia per votum *simplex* Religionis strictioris, et per *solemne* in laxiori fides non est data diversis sed eidem, scilicet Deo; cui quia actualis sui traditio per professionem in laxiori est gratior, quam simplex promissio ingrediendi strictiorem, ideo declaravit Ecclesia c. *Qui post*. cit. extinguere votum ingrediendæ Religionis strictioris per actualem professionem in laxiori; sed contrarium est in nostro casu.

3<sup>o</sup>. Per lapsum temporis matrimonio ineundo præfixi, si nimirum hoc præfixum sit obligationis finiendæ causa, c. *Sicut* 22. h. t. Et quidem solvuntur ex utraque parte sive si sine ullius culpa, sive si ex utriusque culpa intra illud tempus matrimonium secutum non est; ex parte vero innocentis solum, qui paratus erat ad nuptias, si hæc secutæ non sint ex mora alterius sive culpabili, sive inculpabili c. cit. Ratio est, quia terminus ille fuit adjectus per modum conditionis, qua non impleta cessat obligatio; nec sponsi intenderunt ultra illum terminum se obligare. Nec obstat, quod tempus non currat legitime impedito, c. *Quia* 5. de concess. Præb. et L. 1. §. f. G. de annali except. legitime autem impeditus censeatur, cujus mora est inculpabilis; nam licet legitime impedito tempus non currat ad contrahendam pœnam legalem, vel conventionalem juxta c. et L. cit. currit tamen ad tollendam obligationem, si lapso tempore deficiat conditio, cui promissio alligata est, c. *Sicut* c. cit. et L. *Si convenerit*. 14. ff. pro Socio. Et ita se hic res habet.

Dixi: *Si præfixum sit obligationis finiendæ causa*. Secus enim est, si certum tempus obligationi solum urgendæ et implendæ præfixum sit, h. e. ita, ut ultra præstitutum tempus neutri differre liceat impletionem, sicut debiti pecuniarii solutioni solet tempus præfigi; tunc enim lapso tempore manet obligatio implendi ex utraque parte; nam duplex tunc datur obligatio, una absolute contrahendi matrimonium, altera non differendi ultra

præfixum tempus; prima, quæ principalis est, manet, licet altera lapsu temporis deficiat.

4°. Per absentiam, vel discessum unius ex sponsis in alienas terras parte altera inscia, aut invita, c. 5. *De illis* h. t. Dixi: *in alienas terras*. h. e. si discessus fiat animo mutandi domicilium, de quo loqui duntaxat c. cit. constat ex verbis: *et postea dimittunt terram ad alias partes se transfere- rentes*; non enim qui negotiorum, vel studiorum solummodo causa alio se confert, terram dimittit, arg. L. 6. §. fin. ff. de Acquir. vel amitt. Poss. et L. 2. C. de Incolis. Ratio vero, quare discedente uno solvantur sponsalia ex parte alterius, est, quod eo animo discedens censeatur ipso facto illis renuntiare; nec sponsa de futuro teneatur sponsum sequi, dum mutat domicilium, sicut uxor maritum, sponsus vero multo minus teneatur sequi sponsam. Si vero unus discedat animo non mutandi domicilium, sed redeundi, distinguendum est. Vel enim reditus facilis, nec diu differendus censetur; tunc satis convenit inter Doctores ex parte alterius non esse facultatem resiliendi. Vel reditus est difficilis, et diu differendus creditur; hoc ipso discedens inscia vel invita parte altera juri suo renuntiare iterum censetur; nec servasse, ut oportet, datam fidem, et res notabiliter mutata videtur. Vel dubium est; et res optime judici ecclesiastico tunc decidenda committitur. Leges civiles vero ut L. *Si is* 2. C. de Sponsal. jubens expectare sponsam biennio, si sponsus absens sit intra provinciam, et L. *Liberum* 2. C. de Repud. jubens expectare triennio, si sponsus est absens extra provinciam, imo quadriennio et ultra, ut L. *Sæpe* 17. ff. de Sponsal. si causa absentiae sponsi necessaria sit, hodie non urgent, nec afficiunt fidelium sponsalia, quæ juxta jus ecclesiasticum regulari debent; hoc vero c. *De illis* cit. sine ulla tali distinctione dat parti alteri facultatem resiliendi, nisi dicere malis, jure civili fuisse expectandum tempus legibus statutum, non ut sponsa renuntiare posset sponsalibus, sed tantum ut ab iis propter absentiam sponsi recedens sponsa arrhas ab illo datas retinere posset, quas amissura erat, si ante hoc tempus a sponsalibus recederet. Ratio est, quia jure civili solo recessu et renunciatione sponsæ sponsalia semper solvi poterant L. 1. C. de Sponsal.

5°. Per quancumque supervenientem mutationem notabilem, sive physica illa sit, sive moralis, quæ notabiliter difficiliorem reddit executionem sponsalium. Ratio est, quod intentio matrimonium, quod vinculum inducit indissolubile, sibi promittentium non censeatur se extendisse ad casum ita difficilem, et contractus sponsalitiis semper imbibitam hanc conditionem habeat: *si res in eodem statu permanserit: nisi notabilis supervenerit mutatio*. Ejusmodi mutatio *physica* est, si pars una incidat e. g. in paralysin, vel similem morbum difficulter curabilem, aut contagiosum; si amittat e. g. oculus, vel similem contrahat deformitatem. *Moralis* accidit in moribus et bonis animi per turpe crimen, hæresis, furti, latrocinii, etc. aut in fortunis per notabilem amissionem bonorum, vel etiam justum timorem exheredationis, etc.

6°. Per fornicationem unius, ob quam innocens a sponsalium etiam juratorum obligatione absolvitur, c. *Quemadmodum* 25. de Jurejur. Dixi: *unius*, non *solius sponsæ*; licet enim c. cit. loquatur de sponsa, recte tamen idem de sponso intelligitur, cum sit eadem ratio utriusque; et sponsus fornicando

æque fidem datam frangat, et injuriam inferat sponsæ, quam hæc, dum fornicatur, sponso; igitur sicut post unius conjugis adulterium licet tam uxori, quam marito divertere, Can. *Apostolus* 32. q. 7. sic post unius tam sponsi, quam sponsæ fornicationem resilire licebit alteri. Si vero copula fuit per vim extorta, distinguendum est: si sponsæ per vim et violentiam oppressæ stuprum illatum est, licet resilire sponso, cum per hoc sponsa multo fiat vilior, sitque sponso probrosum ducere corruptam, item periculosum, ne prolem alienam alat pro sua c. *Quemadmodum* cit. secus vero est, si sponsus vi corruptus fuerit; quod ejusmodi violentia non afferat tantam notam sponso, nec sponsæ sit tam probrosum, nec periculosum.

7°. Per superveniens quodcumque impedimentum dirimens matrimonium; eo casu enim matrimonium nec validum erit, nec licitum; ergo nec sponsalia ad illud obligare possunt c. *Si quis* 27. q. 2. c. *Ex litteris* 8. de eo, qui cognovit, juncto Tridentino Sess. 24. cap. 4. de Reform. matrim. Si tamen pars impedimentum malitiose incurrisset; ut sponsus fornicando cum sorore suæ sponsæ, obligabitur vel ad damnum, quod inde sponsa patitur, reparandum; vel ad dispensationem, si illa velit, petendam. Ratio est; quia malitiose ponens impedimentum matrimonii graviter violat jus alterius, ergo ex justitia obligatur reparare hoc jus removendo impedimentum, quantum potest.

8°. Per professionem religiosam, quia et hæc impedimentum dirimens matrimonii est, et ex jure sponsalibus inest hæc conditio: nisi Religionem intraverit; unde et licite fit professio, invita licet sponsa. Similiter solvantur per susceptionem actualem ordinis sacri, sive majoris, quia et hic suscipientem reddit inhabilem ad matrimonium ob solemne, quod includit, votum castitatis. Extrav. *Antiquæ* Joann. XXII. de voto. Ordinis tamen susceptio probabilius graviter illicita est, si fiat sponsa vel inscia, vel invita. Ratio est, quia neque naturali, neque divino, neque ecclesiastico jure conceditur sponso hæc facultas; sicut ei conceditur emittere professionem religiosam, Extrav. cit. et c. 7. de Convers. conjug. Unde gratis dicitur susceptioni ordinis sacri inesse hanc conditionem: nisi statum elegero perfectiorem; sed manet obligatio justitiæ.

Quoad causas hæcenus allatas satis inter auctores convenit: dubitatur adhuc solummodo, an etiam dissolvantur sponsalia per votum simplex castitatis, vel ordinum suscipiendorum, ingrediendi Religionem, vel ipsum ingressum præcise, nondum secuta professione. Unde

250. *Dico II.* Dum unus sponsorum emittit votum castitatis, vel suscipiendi ordines; vel votum ingrediendi Religionem; vel si Religionem ingrediatur præcise, professione nondum secuta, hoc ipso alter acquirit facultatem resiliendi.

Ratio quoad *votum castitatis*, vel *ordinum* est, quia vovens hoc ipso juri suo renunciat; nam, quantum ex parte sua est, se obligat ad id, quod cum statu matrimonii consistere non potest. Quoad *votum ingrediendi Religionem* ratio est eadem, quod vovens censeatur ex parte sua sponsalibus renunciare. Quoad *ingressum Religionis* militat tum eadem ratio, quod licet ingressus hic sit licitus, sit tamen tacita sponsalium, adeoque juris sui renunciatio; ergo eo ipso pars altera acquirit jus pariter renunciandi, tum specia-

liter, quod difficile nimis foret remanenti in seculo expectare usque ad tempus professionis; tum denique quod per ingressum Religionis fiat personæ mutatio in æstimatione humana, fiatque hæc vilior in ordine ad matrimonium, partim ob magnam, quam egrediendo proderet inconstantiam, partim quod probrosum sit habere conjugem, qui habitum religiosum exuit.

251. *Dico III.* Votum ingrediendi Religionem, vel ingressus ipse, seclusa professione, non dissolvit sponsalia ex parte voventis, vel ingredientis; neque etiam votum castitatis, vel suscipiendi ordines.

*Ratio primi est,* quia per hoc votum vovens præcise se obligat ad experiendam et probandam Religionem; fieri vero potest, ut post factam experientiam egrediatur licite et impleto voto suo; ergo adhuc tenebitur obligatione justitiæ ante contracta. Deinde novitatus non solvit sponsalia ex natura sua; unde enim hæc repugnantia? nec ex jure; tale enim nullum assignabile est. Adde, quod sic via aperiretur fraudibus, cum facile foret assumptione religiosi habitus ad breve tempus se liberare sponsalitia obligatione. Igitur non extinguitur ingredientis obligatio, sed tantum suspenditur, ita ut iterum egrediens teneatur ad contrahendum matrimonium, si pars altera velit.

*Ratio secundi est,* quia hoc votum est de re aliena et debita alteri ex justitia; ergo voventem deobligare non potest; proinde nec acceptatur a Deo; non enim Deo placere potest victima, quæ ex rapina fit. *Conf.* Non potest promissio commutari in melius, si commutatio est in præjudicium promissarii, nisi quando in promissione fuerit expresse addita, vel saltem tacite subintellecta conditio de tali commutatione; non enim potest promissor disponere invito promissario de jure ab hoc acquisito: atqui in promissione sponsalitia nec fuit expresse addita; nec tacite subintellecta conditio: nisi elegero cælibatum; vel: nisi suscepero ordines. *Prob. min.* Non fuit expresse addita, ut supponi debet: nec fuit tacite subintellecta; vel enim inesset hæc conditio ex natura sponsalium, vel ex jure. *Non primum;* quia homo non tenetur semper ad id, quod perfectius est, sed potest simpliciter eligere minus perfectum, et proin ad illud se alteri obligare, qua obligatione facta jus quæsitum alterius jam lædere non potest. *Non secundum;* quia tale jus non habetur.

252. *Obj. I.* Sponsalibus semper inest hæc tacita conditio: nisi statum elegero perfectiorem; vel: nisi Religionem intravero, juxta c. 2. 7. de convers. Conjug. Atqui status novitiorum est perfectior statu sponsorum; ergo.

*R. N. supposit. min.* Status enim significat stabilitatem, quæ novitiatui non competit: vel *D. Maj.* Nisi elegero statum proprie dictum, h. e. professionem in Religione *C.* improprie talem, sive novitiatum, qui tantum est via ad statum perfectiorem *N.* *Citt. capp.* loquuntur de statu perfectiori proprie tali, dum quis Religionem intrat per actualem professionem; neque enim qui novitiatum ingreditur probationis causa, ideo dici potest assumpsisse statum, cum solum in via sit.

253. *Inst. 1.* Conditio novitiorum tamen perfectior est, quam sponsorum; ergo adhuc inest sponsalibus hæc conditio, nisi statum perfectiorem elegero, vel Religionem, novitiatum intravero.

*R. N. Cons.* Nonne promissio mille aureorum facta pauperi, vel alteri causæ piæ perfectior est, quam facta diviti, vel causæ mere profanæ? nec tamen his facta involvit hanc conditionem, nisi eos donem pauperi, vel alteri causæ piæ impendam.

254. *Inst. 2.* Ipsa ratio dicitur, cuilibet esse licitum transire ad perfectius, et se consecrare Deo, non obstante promissione facta homini; neque enim hic conqueri potest, quod postponatur Deo; ergo semper sponsalibus inest saltem hæc conditio: nisi per votum elegero statum perfectiorem. *Conf.* Sic et in ipsa professione religiosa semper subintelligitur hæc conditio: promitto me sub hac religiosa disciplina perseveraturum, nisi ordinem strictiorem elegero.

*R. 1º.* Probas etiam licere conjugi post matrimonium consummatum transire ad Religionem in seculo altero: res quæcumque promissas homini et debitas eo invito posse expendi per eleemosynas.

*R. 2º. D. Ant.* Ratio hoc dicitur cuilibet non vinculo, si fiat sine læsione juris alieni *C.* secus *N.* Et ita homo conqueri potest, quod sibi fiat injuria sub prætextu accedendi ad Deum: nec Deus ipse vult sacrificium ex alieno. *Ad Conf.* disparitas est primo, quod jure positivo ecclesiastico c. 18. de Regularib. et trans. ad Relig. insit professioni ea conditio; sed tale jus nullum extat pro voto respectu sponsalium. Secundo, quia utraque professio principaliter fit eidem, scilicet Deo, ergo sine alicujus injuria; unde præsumi potest eam Deo magis placere, quæ fit in ordine strictiore, sed contra accidit in nostro casu.

255. *Inst. 3.* Sponsalibus et matrimonio rato inest hæc conditio: nisi statum religiosum per professionem elegero; ergo etiam sponsalibus inest hæc: nisi cælibatum elegero; vel nisi vovero statum sacerdotalem. *Conf.* Promissum non infringit, qui illud in melius commutat c. 3. de Jurejur. Sed hoc facit, qui post sponsalia vovet castitatem, suscipere ordines, ingredi Religionem.

*R. D. Ant.* Inest hæc conditio ex natura rei, aut præcise, quia status perfectior est *N.* ex dispositione juris clari *C.* scilicet ex c. 7. de convers. Conjug. et Trid. Sess. 24. can. 6. Sponsalibus vero dictæ conditiones nec insunt ex natura rei, nec ex aliquo jure, et privilegium concessum soli Religioni extendi non debet cum sponsæ præjudicio.

*Ad Conf. D. Maj.* Non infringit, qui in melius commutat sine injuria tertii, quando hoc fit cum consensu promissarii, vel quando melius datur eidem, cui debebatur minus bonum *C.* si fiat cum injuria tertii, uti hic fieret *N.* et *N. min. et suppos.* posse esse melius, quod nec bonum esse potest, sicut tale votum post sponsalia. Adde, sic omnes promissiones homini factas expungi posse per vota et oblationes faciendas Deo. Denique c. 3. cit. loquitur de commutatione promissionis Deo factæ; sic votum potest commutari in aliud de re adhuc meliori.

256. *Inst. 4. Juxta c. Veniens 5.* Qui clerici vel vovent, punita est mulier, quod per nuptias violare voluerit votum simplex castitatis post sponsalia emissum, et data ei fuit dispensatio, ut posset nubere; ergo votum valuit.

*R. D. Ant.* Punita est, quod per nuptias violare voluerit votum nubendo priori sponso, et data ei fuit dispensatio, ut posset huic sponso primo nubere *N.* punita est, quia *fidem mentita est*, et per votum repudiaverat sponsum primum, et postea volebat nubere alteri, ad quod egebat dispensatione *C.* Punita igitur fuit, quod contra fidem priori sponso datam illum repudiaverit, sub prætextu voti castitatis; et dispensatione eguit, quia post votum volebat nubere alteri, quod non poterat licite; quia votum castitatis simplex post sponsalia emissum licet non valeat in præjudicium sponsi, quasi vovens per hoc liberaretur a data fide; valet tamen in præjudicium voventis, ut cum altero licite matrimonium contrahere non possit; nec exigere conjugale debitum. arg. *c. Placet 12. de Convers. conjug.*

257. *Obj. II.* Si concurrant duo vincula, obligat hoc, quod fortius est *c. Si inter 31. de Sponsal.* Sic matrimonium solvit sponsalia prius cum alia vel alio inita: atqui votum et sponsalia sunt duo vincula, et fortius est votum *v. g. castitatis*; quia fit Deo, et per illud obligatur Deo corpus et anima; ergo.

*R. D. Maj.* Si vinculum illud in se fortius hic et nunc sit validum, et vere existat *C. secus N.* Votum in nostro casu, quatenus alteri præjudicat, nullum est. Quoad matrimonium est disparitas, quia hoc validum est *c. Si inter cit.*

258. *Obj. III.* Votum simplex castitatis irritat sponsalia subsequencia, etiam jurata; ergo et vicissim antecedentia. *Conf.* Votum simplex non minus obligat coram Deo, quam solemne; ergo etiam æque solvit sponsalia antecedentia.

*R. N. Cons.* Quia sponsalia post votum inita essent promissio rei alienæ alteri, scilicet Deo debitæ, ergo non valent; consequenter nec juramentum, quod nequit esse vinculum iniquitatis.

*Ad Conf. R. D. Ant.* Non minus obligat, quoad effectus aliquos, et in præjudicium voventis, ut cum alia contrahere non possit licite, nec petere conjugale debitum in matrimonio, obligeturque ad continentiam altera parte defuncta *C.* quoad effectus omnes, et in præjudicium tertii *N. Ant. et Cons.*

259. *Obj. IV.* Sponsalia non claudicant, sed essentialiter sunt mutua; ergo si ex parte unius cessent, etiam cessabunt ex parte voventis.

*R. D. Ant.* Non claudicant, ut maneant perfecta sponsalia *C.* ut per modum promissionis simplicis solum partem ream obligent *N.* Vel: non claudicant in fieri, sive dum fiunt sponsalia *C.* in facto esse, sive conservari *N.* Idem respondere debent omnes in superveniente quacumque mutatione notabili ex parte unius, ut fornicatione, etc. quo casu potest resilire innocens; huic tamen pars altera obligata manet, si innocens nihilominus velit matrimonium.

260. *Quæres I.* An causæ enumeratæ resiliendi facultatem præbeant, si jam ante sponsalia extiterint, et postea primum sint detectæ?

*R. Affirmative.* Quia in jure paria sunt non esse et non apparere *L. 77. ff. de contrah. empt. et supervenire talem causam, vel ignorantes præcedere, cum tunc primum res de jure censeatur fieri, cum innotescit. arg. c. Pastoralis de Except.*

261. *Quæres II.* An possint sponsi propria auctoritate resilire, si causa aliqua ex prædictis subsit?

*R. Affirm.* per se loquendo, modo causa certa sit; neque enim ullo jure cauta reperitur necessitas tunc adhibendi auctoritatem judicis, et per se sponsalibus inest conditio, nisi justa resiliendi causa intervenerit. Si vero causa sit dubia, judicis ecclesiastici auctoritas debet accedere; quia vi contractus sponsalitiis quilibet ex sponsis est in possessione juris acquisiti; in dubio vero nemini licet auctoritate propria deturbare alterum de possessione juris sui. Dixi: *per se loquendo*, scilicet secluso statuto diocæsano speciali.

## CAPUT II.

### DE NATURA MATRIMONII.

262. Matrimonium sub duplici ratione sumi potest; *active*, sive ut alii loquuntur, in fieri, vel causaliter, nimirum pro ipso contractu matrimoniali; et *passive*, sive in facto esse, scilicet pro statu conjugum habitualiter permanente, et per contractum inducto: tametsi vero hoc posteriori modo sumptum magis communiter et proprie dici videatur matrimonium, eo quod in Florentino consensus vel contractus dicatur *causa efficiens* matrimonii; de hoc tamen in priori acceptione potissimum hic agitur. Et quia matrimonium *active* sumptum iterum considerari potest dupliciter, ut est *in officium naturæ*, sive contractus naturalis, et ut est *sacramentum*, de matrimonio sub utraque hac acceptione disseremus.

### ARTICULUS I.

#### QUÆ SIT ESSENTIA MATRIMONII?

263. *Nota I.* Matrimonium ut est officium naturæ, et *active* sumptum definitur: Contractus legitimus, quo mas et femina, jure habiles, sibi mutuo jus tradunt in corpora in ordine ad actus ex se aptos ad generationem proles, et se obligant ad individuum vitæ societatem. Quibus si addas: et ex institutione Christi gratiam, quam significat, conjugibus conferens, crit simul definitio matrimonii ut sacramenti.

Dicitur 1°. *Contractus legitimus*, hoc est, validus juxta leges, tam humanam, quam naturalem et divinam. 2°. *Quo mas et femina*, scilicet: unus et